



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

De Nvmero Et Vsv Sacramentorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

nibus, ἕτε γῆς φασίν, ἕτε ἕγενῶ ἀπλόμυνα, quæ ne
quidem aduersarij satis explicare possunt.

DE NUMERO ET VSU SACRAMENTORVM.

IN XIII. ARTICVLO probant aduersarij, quæ
dicimus, Sacramenta non esse tantum notas pro
fessionis inter homines, vt quidam fingunt, sed ma
gis esse signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, pe
quæ mouet Deus corda ad credendum. Sed hic iubent
nos etiam septem Sacramenta numerare. Nos senti
mus præstandū esse, ne negligatur res & ceremonie in
scripturis institutæ, quotcunq; sunt. Nec multum re
ferre putamus, etiamsi docendi causa alij numerant a
liter, si tamen rectè conseruent res in scriptura tradi
tas. Nec veteres eodem modo numerauerunt.

Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum
Dei, & quibus addita est promissio gratiæ, facile est iu
dicare, quæ sint propriè Sacramenta. Nam ritus ab ho
minibus instituti non erunt hoc modo propriè dicta
Sacramenta. Non est enim autoritatis humanæ, pro
mittere gratiam. Quare signa sine mandato Dei insti
tuta, non sunt certa signa gratiæ, etiamsi fortasse ritus
docent, aut admonent aliquid. Verè igitur sunt Sa
cramenta, Baptismus, Coena Domini, Absolutio, quæ
est Sacramentum pœnitentiæ. Nā hi ritus habent man
datum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propriè
noui Testamenti. Certò enim debent statuere corda
cū baptizamur, cū vescimur corpore Domini, cū
absoluimur, quòd verè ignoscat nobis Deus propter
Christum. Et corda simul per verbum, & ritum mouet
Deus, vt credant, & concipiāt fidē, sicut ait Paulus: Fi
des ex auditu est. Sicut autem verbum incurrit in au
res, vt feriat corda; ita ritus ipse incurrit in oculos,

vt mo-

vt moueat corda. Item effectus est verbi & ritus, sicut præclarè dictum est ab Augustino, Sacramentum esse verbum visibile, quia ritus oculis accipitur, & est quasi pictura verbi, idem significans, quod verbum. Quare idem est vtriusq; effectus.

Confirmatio & extrema vnctio sunt ritus accepti à Patribus, quos ne Ecclesia quidem tanquam necessarios ad salutem requirit, quia non habent mandatum Dei. Propterea non est inutile hos ritus discernere à superioribus, qui habent expressum mandatum Dei, & claram promissionem gratiæ.

Sacerdotium intelligunt aduersarij non de ministerio verbi & sacramentorum alijs porrigendorum, sed intelligunt de Sacrificio, quasi oporteat esse in nouo Testamento Sacerdotiũ simile Leuitico, quod pro populo sacrificet, & mereatur alijs remissionem peccatorum. Nos docemus, sacrificium Christi morientis in cruce, satis fuisse pro peccatis totius mundi, nec indigere præterea alijs sacrificijs, quasi illud non satis fuerit pro peccatis nostris, Ideo iustificantur homines, nõ propter vlla reliqua sacrificia, sed propter illud vnum Christi sacrificium, si credant, illo sacrificio se redemptos esse. Ideo sacerdotes vocantur, non ad vlla sacrificia velut in lege pro populo facienda, vt per ea mereantur populo remissionem peccatorum, sed vocantur ad docendum Euangelium, & sacramenta porrigenda populo. Nec habemus nos aliud sacerdotium, simile Leuitico, sicut satis docet Epistola ad Ebræos. Si autem ordo de ministerio verbi intelligatur, non grauatim vocauerimus ordinem sacramentum. Nam ministerium verbi habet mandatum Dei, Et habet magnificas promissiones, Rom. 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item, Esaia 55. Verbum meum, quod egredietur de ore meo, nõ reuertetur ad me vacuũ, sed faciet, quæcunq; volui, &c. Si ordo hoc mo-

do intelligatur, neq; impositionem manuum vocare
 cramētum grauemur. Habet enim Ecclesia mandatum
 de constituendis ministris, quod gratissimum esse nobis
 debet, quod scimus, Deum approbare ministerium
 lud, & adesse in ministerio. Ac prodest, quantum fieri po-
 test, ornare ministerium verbi, omni genere laudis, &
 uersus fanaticos homines, qui somniant, Spiritum sanctum
 dari, non per verbum, sed propter suas quaedam pra-
 parationes, si sedeant ociosi, taciti, in locis obscuris, ex-
 spectantes illuminationem, quemadmodum olim
Theriasai docebant, & nunc docent Anabaptista.

Matrimonium non est primum institutum in nouo
 Testamento, sed statim initio creato genere humano.
 Habet autem mandatum Dei, habet & promissiones
 non quidem proprie ad nouum Testamentum pertine-
 res, sed magis pertinentes ad vitam corporalem, quae
 si quis uolet sacramentum vocare, discernere tamen
 prioribus illis debet, quae proprie sunt signa noui Te-
 stamenti, & sunt testimonia gratiae & remissionis pe-
 catorum. Quod si Matrimonium propterea habeat
 pellationem sacramenti, quis habet mandatum Dei
 etiam alij status seu officia, quae habent mandatum Dei
 poterunt vocari sacramenta, sicut Magistratus. Pos-
 sunt enim, si omnes res annumerari sacramentis debent,
 habent mandatum Dei, & quibus sunt additae prom-
 siones, cur non addimus orationem, quae uerissime
 test dici sacramentum? Habet enim & mandatum Dei
 & promissiones plurimas. Et collocata inter sacra-
 menta, quasi in illustriore loco, inuitat homines ad or-
 dum. Possent hic numerari etiam eleemosynae. Item
 fustiones, quae & ipsae sunt signa, quibus additae
 promissiones. Sed omittere ista. Nemo enim uir
 dicens de numero aut uocabulo magnopere rixabitur.
 tamen illae res retineantur, quae habent mandatum
 Dei, & promissiones.

Illud magis est necessarium, intelligere, quomodo sit
 vtendum sacramentis. Hic damnamus totum popu-
 lum Scholasticorum doctorum, qui docent, quod sa-
 cramenta non ponenti obicem, conferant gratiam ex
 opere operato sine bono motu vtentis. Hæc simplici-
 ter Iudaica opinio est, sentire, quod per ceremoniam
 iustificemur, sine bono motu cordis, hoc est, sine fide.
 Et tamen hæc impia & perniciofa opinio, magna auto-
 ritate docetur, in toto regno Pontificio. Paulus recla-
 mat & negat, Abraham iustificatum esse circumcisio-
 ne, sed circumcisionem esse signum propositum ad ex-
 ercendam fidem. Ita nos docemus, quod in vsu sacra-
 mentorum fides debeat accedere, quæ credat illis pro-
 missionibus, & accipiat res promissas, quæ ibi in sacra-
 mento offeruntur. Et est ratio plana & firmissima, Pro-
 missio est inutilis, nisi fide accipiatur. At sacramenta
 sunt signa promissionum. Igitur in vsu debet accedere
 fides, vt si quis vtetur Cœnâ Domini, sic vtatur, Quia
 id est sacramentum noui Testamenti, vt Christus clarè
 dicit, Ideo statuat sibi offerri res promissas in nouo Te-
 stamento, scilicet gratuitam remissionem peccatorû.
 Et hanc rem fide accipiat, erigat pauidam conscienti-
 am, & sentiat hæc testimonia non esse fallacia, sed tam
 certa, quàm si Deus nouo miraculo de cælo promit-
 teret se velle ignoscere. Quid autem prodesse illa
 miracula & promissiones non credenti? Et loquimur
 hîc de fide speciali, quæ præsentî promissioni credit,
 non tantum quæ in genere credit Deum esse, sed quæ
 credit offerri remissionem peccatorum. Hic vsus sacra-
 menti consolatur pias & pauidas mentes. Quantum
 autem in Ecclesia abusuum pepererit illa fanatica opi-
 nio, de opere operato sine bono motu vtentis, nemo
 verbis consequi potest. Hinc est illa infinita prophana-
 tio missarum. Sed de hæc infra dicemus. Neq; vlla lite-
 ra ex veteribus Scriptoribus, pferri potest, quæ patro-

cinetur

cinetur hac in re Scholasticis, Imò contrarium ait Augustinus, quòd fides sacramenti, non sacramentum iustificet. Et est nota Pauli sententia: Corde creditur iustitiam.

ARTICVLVM XIV. in quo dicimus, nemini sitè vocato concedendam esse administrationem sacramentorum & verbi in Ecclesia, ita recipiunt, si nomen vtamur ordinatione Canonica. Hac de re in hoc conuentu sæpe testati sumus, nos summa voluntate cupere conseruare politiam Ecclesiasticam, & gradum in Ecclesia factos etiam humana autoritate. Scimus enim bono & vtili consilio à Patribus Ecclesiasticis disciplinã hoc modo, vt veteres Canones describunt constitutam esse. Sed Episcopi sacerdotes nostros incogunt hoc doctrinæ genus, quod confessi sumus, atque iijcere ac damnare, aut noua & inaudita crudelitate multos & innocentes occidunt. Hæ causæ impediunt quòd minùs agnoscant hos Episcopos nostri sacerdotes. Ita sæuitia Episcoporum in causa est, quare alicui dissoluitur illa Canonica politia, quam nos magno opere cupiebamus conseruare. Ipsi viderint quomodo ordinationem Deo reddituri sint, quòd dissipant Ecclesiam Nostræ conscientia hæc in re nihil habet periculi, quicùm sciamus, confessionem nostram veram, piã catholicam esse, non debemus approbare sæuitiam istorum, qui hanc doctrinam persequuntur. Et Ecclesiam esse scimus apud hos, qui verbum Dei rectè docent, rectè administrant sacramenta, non apud illos, qui verbum Dei non solùm edictis delere conantur, sed etiam recta & vera docentes trucidant, erga quos, etiam quid contra Canones faciunt, tamen ipsi Canones meliores sunt. Porro hic iterum volumus testatum, nos libenter conseruatuos esse Ecclesiasticam & Canonice politiam, si modò Episcopi desinant in nostram Ecclesiam sæuire. Hæc nostra voluntas & coram Deo

& apud omnes gentes, ad omnem posteritatem excusabit nos, ne nobis imputari possit, quòd Episcoporum autoritas labefactatur, vbi legerint atq; audierint homines, nos iniustam sœuitiam Episcoporum deprecantes, nihil æqui impetrare potuisse.

DE TRADITIONIBVS HVMANIS IN ECCLESIA.

IN ARTICULO XV. recipiunt primam partem, in qua dicimus obseruandos esse ritus Ecclesiasticos, qui sine peccato obseruari possunt, & ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia profunt. Alteram partem omnino damnant, in qua dicimus traditiones humanas institutas ad placandum Deum, ad promerendam grãtiam, & satisfaciendum pro peccatis, aduersari Eũangelio. Quanquam in ipsa confessione de discriminẽ ciborum, satis multa diximus de traditionibus, tamen hic quædam breuiter reperenda sunt. Etiã si arbitrabamur, aduersarios ex alijs causis defensuros esse traditiones humanas, tamen hoc non putauimus futurum; vt hunc articulum damnarent; Non mererentur nos remissionem peccatorum; aut gratiam, obseruatione traditionum humanarum. Postquam igitur hic articulus damnatus est, facilem & planam causam habemus. Nunc apertè Iudaizant aduersarij, apertè obruunt Eũangelium doctrinis dæmoniorum. Tunc enim scriptura vocat traditiones; doctrinas dæmoniorum, quando docetur, quòd sint cultus vtilis ad promerendam remissionem peccatorum & gratiam. Tunc enim obscurant Eũangelium, beneficium Christi, & iustitiam fidei. Eũangelium docet nos fide propter Christum gratis accipere remissionem peccatorum, & reconciliari Deo. Aduersarij contra alium mediatorem constituunt, scilicet has traditiones. Propter has volunt

consequi